

8. Διαλογιζόμενος sive sermonicatio est, cùm personā absentem introducimus loquentem tanquam præsentem : ut, D. Lutherus Spiritum S. introducit sic cum Johanne Baptista captivo loquenter: *Mi iohannes ne perturbet te indigna ista fortuna: Breve mundi gaudium, mox excipiet æternus cruciatus. Contrà tua afflictio in sempiternam vertetur lætitiam.*

(Vulgò sic sermocinationem & prosoipopœiam distinguunt: quod in hac tribuatur sermo rebus inanimatis, quæ non sunt personæ: illa verò rebus animatis, quæ vera sunt personæ.)

1. Prosoipopœia ornamentum elocutionis singulare est, & magnæ in primis audaciæ. Itaq;

2. Magno consilio & judicio regenda, quo consentanea personis oratio tribuatur.

3. Ratio decori ante omnia in ejusdem conformatione diligenter attendenda, *Talæ. l. i. cap. 33.*

(*Hic enim valet illud Horatii:*

*Intererit multum Davūs ne loquatur, herūsve,  
Maiurūsve senex, an adhuc florente juventa  
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix,  
Mercatorve vagus, cultorve virentis agelli,  
Colchus an Assyrus. Thebis nutritis, an Argis.)*

### Exempla promiscua alia.

Jud. 9. v. 7. & seqq. *Abimelech rege constituto in Sichem, abiit Ioacham iuit & stetit in vertice montis Garizim elevataque voce clamauit, & dixit: Audite me optimates Sichem, ut audiat vos Dominus: Iverunt ligna, ut ungerent super se regem: Dixeruntq; oliva: Impera nobis. Quare respondit: Nunquid*